



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.4. Rerum isto capite ptopositarum extrema conclusio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

Quibus consentaneè S. Gregorius Nazianzenus oratione 18. inter ea, quæ animo comprehensa, ad vitæ melioris studium nos ducunt, recensens Christi (uti appellat) primi Martyris cruciatus, de eodem mox ita subjicit: *Qui crucem conscendit, meq; secum duxit, ut peccatum meum affigeret, & de serpente triumpharet, & sanctitatem ligno adferret, & voluptatem vinceret.*

Sed enim cum audis, jam olim cum Christo crucifixum veterem hominem; aut amorem nostrum ab ipso Christo triumphatum; non continuo debellatum esse, aut rem omnem confectam existimes; nec jam partes ullas aut laborem ullum ea in causa à te requiri. Refigit quippe se de facili hic improbulus, atq; petulanter obluçtans & protervè lasciviens, aut clavos astutè exire, aut eos revellere contendit. Ut nisi solerter atque sedulè coërceatur, & manus assiduè ad malleum & clavum adhibeatur, facilè pereat impensus labor, & quasi nihil hætenus actum sit, omnis de novo sit atque ex integro res ordiendæ.

Ergo etiam nobis admovenda est manus operi, & ipsi Christo amorem nostrum crucifigenti, allaborandum. Crucifixit enim illum Christus, ejus opprimendo insolentem tyrannidem; utq; jam virtute crucis armati, eum in nobis debellare, atque ex toto triumphare valeamus. Secundum quod ait suprâ laudatus S. Ambrosius: *Unius diei triumphus, l. 10. in Luc.* fecit omnes propè jam homines triumphatores. Eodemq; sensu loco citato Origenes: *Diabolus victus & crucifixus est, inquit, sed ijs qui cum Christo crucifixi sunt.*

§. 4.

Rerum isto capite propositarum extrema Conclusio.

U Tigitur rem omnem in pauca contractam concludam: huc deniq; recidit præsentis capite proposita cogitatio; ut.

Exp. prop. ep. ad Rom. c. 32. ut quoniam, quod ait S. Augustinus, *veteris hominis crucifixio significata est in cruce Domini: dum amorem nostrum proprium cum Christo crucifigendum intelligimus, ad crucis exemplar respicientes, omne quod in nobis Divinæ Legi atque amoris repugnat, averfari, odisse, atque opprimere, condiscamus.* Quia videlicet (quæ summa est præsentis doctrinæ, à S. Bonaventura duobus verbis expressa) *nullus potest perfecte invenire DEUM, qui se perfecte non odit.* De quo plura dicentur parte sequenti, ubi de integra sui ipsius abnegatione.

P. 2. sim. c. 3.

Veruntamen placet rem istam verbis S. Hieronymi in eundem sensum bellissimè conspirantis, obsignare. Ita enim loquitur scribens in epistolam ad Galatas: *Si quis mortificationis membris, super terram & mundo mortuus, configuratus fuerit morti JESU Christi, crucifigitur cum JESU & trophæum mortificationis sue in ligno Dominice passionis affigit.* Ubi etiâ denique exclamat S. Bernardus: *Ultimam ego inveniar in his spolijs, quibus spoliata sunt contraria potestates, et ductus & ipse in possessionem Domini!* Optans videlicet nulla ex parte suus esse, neque proprium quicquam in suis affectibus retinere; sed quantus quantus est inter spolia crucis numerari, neque jam de se, sive de homine suo veteri, velut ex hoste captas manubias, ad crucis truncum affigi, sed unâ cum Christo semet ipsum crucifigendo, totus in trophæum divinæ gloriæ formari.

CAPUT XII.

Amantis Animæ cum Christo crucifixo desponsatio.

§. I.

Amantem animam Christi Crucifixi Sponsam esse. Speci-